

singulas aures ferit, hoc in casu intra tubæ, os loquentis orificio suo arctè circumvallantis, cavitatem ferè omnis cogitur, ita ut versus eum locum, ad quem non nisi pauci radii sonori ab ore emissi aliàs excurrerent, nunc plurimi ac tantùm non omnes dirigantur; in illo loco tractuque obvias aures necessariò quoque multò fortiùs moveri, vocemque adeò multò intensiorem percipi debere.

Causa 7. &  
9. Phæn.

**CONCLUSIO II.** Et cùm collecta sic vox & quasi concentrata intra tubæ angustiam, non solùm directè per ejus longitudinem pergat, aliquid augmenti fortassis ex hoc ipso quoque fluxu per canalem clausum acquirens (prout certè fumos ex caminis, aquas angustioribus alveis & pontium fornicibus celerius ac impetuosius profluere cernimus;) sed insimul, uti soni natura fert, ad singula adeoque innumera internæ illius cavitatis puncta impingat, indeque reflexa radium aliquem sonorum è singulis illis punctis emissum, cum fluxu illo vocis directo jungat, versus eandem circiter plagam unà emittendos; non posse non hinc alterum, idque magnum vocis emissæ augmentum promanare, vi eorum, quæ Observationes nostræ, III. IV. & V. nos docuerunt.

**CONCLUSIO III.** Quantumvis autem hæ duæ ratiocinationes alicui videri possent sufficientes indicasse causas adeò intensæ per tubas hasce vocis; non videbatur tamen *Morlandi* speculatio & specialior hujus rei determinatio negligenda, sed simplicius ita proponenda: Vox ore G emissa [Vid. Fig. 29.] radiis suis G K & G K (quos hinc duos solùm attendimus, quibus similes alii plurimi incidunt in totum ambitum circulare, cujus diameter est KK) in K & K reflexis, & aliàs in aëre libero locum 2. præterituris, unitur nunc in eodem loco 2. cum radio directo G 2, ita ut auris aliqua posita in 2. necessariò majorem perciperet sonum in hoc casu, quàm aliàs esset perceptura eodem loco,